

cisque cum imperatoria potestate tributum, qua majorem Veneto civi impertitam fuisse nusquam homines meminerant. In eo magistratu gerendo quæ præstiterit, suo loco dicemus.

Cum ancipites animi ex propinquuo rerum eventu penderent, atque, ut immanis hostis, frangendæ fidei assuetus, repelleretur, in belli curis versarentur: ecce a Marco Antonio Barbaro, atque ab Andrea Baduario legatis Byzantio literæ adveniunt, tandem superatis difficultatibus, Mehemetis Visiri præsertim auctoritate atque industria, cuius summa in Venetos benevolentia extabat, atque ingenti animi dolore arma in Rempublicam suscepta fuisse senserat, pacem cum Selymo firmatam esse; eique rei non parum Judæi Salomonis operam momenti attulisse. Id ut quamprimum ad Patres perferretur, Marcus Antonius Barbarus Aloysium filium quam citatissimo itinere Venetas misit, qui Principi ac Patribus de imperio retinendo, atque hosti intrepide fese objiciendo in Senatus aula consulentibus concordia nuntium attulit. Postridie Senatu habito, de concordia legati Reipublicæ certiores facti, atque rei exitum Regibus exponere sunt jussi; bellique suspicionibus abjectis, qui summo studio apparatus curabantur, intermissi fuerunt. Interea cum a Selymo nihil, quod ad maritimum robur augendum attineret, prætermitteretur, in quas regiones belli vim intenderet, nondum erat exploratum; licet certis rumoribus per Europam omnem vulgaretur, pace cum Venetis facta, alium sibi ad exercendas vires campum, nisi adversus Hispaniarum Regem non superesse, quem incredibili odio, atque irreconciliabili animo vetustis recentibus que causis persequebatur. Bella a Suleimano cum Carolo, & Ferdinando gesta impellebant; nec satis æquo pati animo poterat, Joannis Austriaci, Philippi fratris, auspiciis, cladem ad Echinadas sibi a foederatis illatam. Enimvero ut, quo Veneti animo in hac nova amicitiæ reconciliatione erga Hispaniarum Regem essent, pertentaret, dissidiorumque semina temporis spatio in apertas inimicitias evasura sereret, indeque sibi ad imperium amplificandum firmiorem aditum strueret, Salomonem, quem antea in firmanda pace enixe laborasse ostendimus, Venetas legavit. Is ineunte majo mense cum ad urbem pervenisset, ut, quæ a Selymo in mandatis habe-

*Pacis con-
firmata nū-
tium ab
Aloysio Bar-
baro Ve-
netias allath.*

*Salomon
Judæus a
Selymo Ve-
netias mis-
sus.*